

**Statuta eleemosynariae sive Hospitalis, Sancti Johannis Baptistae, in
Kirkby-Ravenswath. Conditae per Johannem Dakyn ... 1556.**

Contributors

Hospital of Saint John the Baptist (Kirkby Ravensworth, England)
Dakyn, John, -1558.

Publication/Creation

York : printed by W. Blanchard, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jsym2pec>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

S T A T U T A

E L E E M O S Y N A R I Ā

S I V E

H O S P I T A L I S,

Sancti JOHANNIS BAPTISTÆ,

I N

KIRKBY - RAVENSWATH.

Conditæ per JOHANNEM DAKYN, L. L. D.

A N N O D O M I N I 1556.

Y O R K :

PRINTED BY W. BLANCHARD. M DCC LXXXVI.

50001 / P / HOS

61618 / P



346286

LICENTIA AD ERIGENDUM.

LICENTIA Dominorum Regis et Reginæ Angliæ, Johanni Dakyn, Clerico concessa ad erigendum Hospitale sive Eleemosynariam, in honorem Sancti Johannis Baptistæ, intra parochiam de Kirkby-Ravenswath.

Philippus et Maria Dei gratia Rex et Regina Angliæ, Franciæ, Neapolis, Jerusalem, et Hiberniæ, Fidei Defensores, Principes Hispaniarum et Siciliæ, Archduces Austriæ, Duces Mediolani, Burgundiæ, et Brabantia, Comites Haspurgi, Flandriæ, et Tirolis, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Sciatis, quod nos de gratiâ nostrâ speciali, ac ex certâ scientiâ et mero motu nostris concessimus et licentiam dedimus, ac per præsentes concedimus et licentiam damus pro nobis, hæredibus nostris, et successoribus nostris,

quantum in nobis est, Johanni Dakyn legum doctori, rectori ecclesiæ parochialis de Kirkby-Ravenswath, in comitatu nostro Eboracensi, archidiaconatus Richmondiæ Cestrensisque diaeceseos; quod ipse, hæredes, executores, vel assignati sui, vel aliquis, aut aliqui eorundem ad puerorum et juvenum educationem et eruditionem, pauperum quoque et egenorum sustentationem et relevamen, quandam scholam sive Domum Eleemosynariam sive Hospitale in honorem Sancti Johannis Baptistæ, in Kirkby-Ravenswath, prædictâ prope cæmeterium dictæ ecclesiæ parochialis de Kirkby-Ravenswath prædictâ de duobus gardianis, uno præceptore sive magistro scholarium in arte grammatical sufficenter docto et perito, ac certis aliis pauperibus infirmis et egenis, juxta et secundum ordinationes, statuta, et fundationem, per ipsum, Johannem Dakyn, hæredes, executores, aut assignatos suos, vel aliquem eorundem in hac parte fienda, stabilienda, et ordinanda, de hujusmodi gardianis, præceptore sive magistro, pro pueris, juvenibus, pauperibus sive egenis instruendis,
eru-

erudiendis, sublevandis, et sustentandis, facere, fundare, erigere, creare, et stabilire possit vel possint, perpetuis futuris temporibus duraturam ; et quod dictus Johannes Dakyn, hæredes, executores, et assignati sui, et eorum cuiuslibet de tempore in tempus ordinare, condere, et fundare possint, et quilibet eorum possit ordinare, condere, et fundare ordinationes, regulas et statuta pro bono et saluberrimo regimine dictorum pauperum, scholarium, et gardianorum, puerorum, et infirmorum dictæ domus five Hospitalis quoties opus et necesse fuerint ; et quod dicta Schola five Domus Eleemosynaria five Hospitale, cum sic per præfatum Johannem Dakyn, hæredes, executores, vel assignatos suos erecta, fundata, constructa, ac stabilita fuerit, Schola five Domus Eleemosynaria five Hospitale, Sancti Johannis Baptiste de Kirkby-Ravenswath perpetuo vocetur, nominetur, et nuncupetur : Et quod dicti duo gardiani, præceptor, five magister scholarium et pauperes et egeni ibidem, et eorum successores quicunque, quando eadem Domus Eleemosynaria five Hospitale,

sic fundata, creata, erecta, et stabilita fuerit, sint in re et nomine unum corpus corporatum et una communitas perpetua; habeantque successionem perpetuam in perpetuum; quodque dicti duo gardiani præceptor sive magister scholarium et pauperes prædicti per nomen et sub nomine gardianorum, præceptoris sive magistri scholarium et pauperum Eleemosynariæ sive Hospitalis Sancti Johannis Baptistæ de Kirkby-Ravenstwath, placitare possint et implacitar~~e~~; nec non omnes et omnimas actiones, sectas, querelas, debita, demanda, et causas quascunque tam reales, quam personales et mixtas cujuscunque generis fuerint, vel naturæ, coram quibuscunque judicibus spiritualibus et temporibus, ac aliis justiciariis secularibus, et personis quibuscunque, sectari, prosequi, placitare et implacitar~~e~~ ac in eisdem responderi, easque defendere possint et quilibet eorum possit; prædicti quoque duo gardiani, præceptor sive magister scholarium et pauperes dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis Sancti Johannis Baptistæ de Kirkby-Ravenstwath, et eorum

suc-

successores sint personæ habiles et capaces
 in lege, jure, et nomine dictæ Eleemosynariæ
 sive Hospitalis ad quæcunque, terras,
 tenementa, redditus, reverstiones, servitia,
 decimas, oblationes, ecclesiarum, et vica-
 riarum parochialium, advocationes, et pa-
 tronatus, capellas, cantarias, libertates,
 franchises, privilegia, et alia emolumenta,
 possessiones, hæreditamenta, catalla, res,
 bona mobilia et legata quæcunque tam
 per præfatum Johannem Dakyn, hæredes,
 executores, et assignatos suos, quam per
 alias quascunque personas piâ eorum largi-
 tione et liberalitate in augmentum præ-
 missorum danda, donanda, leganda, et
 elargienda, perqurienda, recipienda, adi-
 piscenda, et acceptanda; ac ea sic data,
 donata, legata, elargita, perquisita, recepta,
 adepta, et accepta, in usus proprios dictæ
 Eleemosynariæ sive Hospitalis, ac gardia-
 norum, præceptoris, sive magistri schola-
 rium, ac pauperum ibidem, et successorum
 suorum, habenda, convertenda, utenda,
 retinenda, gaudenda, et possidenda, in per-
 petuum, licet a nobis in capite vel aliter
 mmediate teneantur vel aliqua eorum par-
 cella

cella teneatur juxta et secundum promissi-
 onem in statuto Parliamenti nostri Angliæ
 inchoati duodecimo die mensis Novembris
 annis regnum nostrorum primo et se-
 cundo de terris ad manum mortuam intra
 viginti annosjam proxime futuros ponen-
 dis et alicui loco spirituali jam erecto vel
 in posterum erigendo, conferendis, edi-
 tam; et quod iidem gardiani, præceptor,
 five magister scholarium, et pauperes
 Eleemosynariæ five Hospitalis, prædicti
 unum habeant sigillum commune ad ne-
 gotia dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis
 agenda et tractanda deserviturum. Et ul-
 terius de ampliori et abundantiore gratiâ
 nostrâ speciali concessimus, et licentiam
 dedimus, ac per præfentes concedimus et
 licentiam et authoritatem damus pro nobis
 et hæredibus nostris quantum in nobis est
 præfato Johanni Dakyn quamdiu vixerit,
 et post ejus mortem, hæredibus, executo-
 ribus, et assignatis suis, in ipsius testamento
 five ultimâ voluntate ad hoc specialiter
 assignatis et deputatis, et eorum cuilibet,
 quantam ipsi vel aliquis eorundem statuta,
 ordinationes, constitutiones, et provisiones

pro

pro bono regimine et gubernatione, tam dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis Sancti Johannis Baptiste de Kirkby-Ravenswath, quam gardianorum, præceptoris, sive magistri, scholarium, puerorum, juvenum, pauperum sive egenorum hujusmodi, et successorum suorum perpetuis futuris temporibus duratura juxta et secundum sanam ipsius vel ipsorum discretionem et conscientiam edere, condere, constitueret, et stabilire; ac ea (si ita commodum vifum fuerit) pro tempore, et caufâ, opportunitate, mutare, corrigere, emendare, et reformare possit et valeat, possintque et valeant eorum quilibet pro libiti voluntate. Quæ singula præmissa per nos, ut præmititur, concessa in futurum fiant absque aliquo fine sive feodo magno sive parvo in hanaperio cancellariæ nostræ seu alibi ad opus nostrum seu hæredum nostrorum pro præmissis reddendis solvendis vel faciendis. Et absque aliquo brevi de "*ad quod dannum,*" sive aliquo alio brevi, seu processu extra curiam cancellariæ nostræ vel alibi in eâ parte impetrando, sive prosequendo. Et absque aliqua inquisitione inde

inde capiendâ et in cancellariam nostram
retornandâ: Aut aliquo alio statuto, actu,
ordinatione, provisione, sive restrictione in
contrarium inde antehâc factâ ordinatâ
sive provisâ, aut aliquâ aliâ re, caufâ vel
materiâ quâcunque in aliquo non obstante.
In cuius rei testimonium hæs literas nostras
fieri fecimus patentes. Testibus nobis ipsis
apud Westmonasterium vicesimo sexto die
Octobris, annis regnorum nostrorum se-
cundo et tertio.

ERECTIO

ERECTIO Hosptialis sive Eleemosy-
nariæ Sancti Johannis Baptiste de
Kirkby-Ravenswath, virtute licentiæ præ-
dictæ per Johannem Dakyn, rectorem ibi-
dem, facta sequitur sub hâc verborum
serie :

In Dei nomine. *Amen.* Mortalium vi-
tam mortalia, ut plurimum curantem ab
eâ, quæ sempiterna est, nonnihil distare,
imo contrariam esse, tam sacræ paginæ
testimonia, quam Apostolorum et apostoli-
corum virorum demonstrant; quod illa
mundanas vanitates usque adeo deridendas
quasi in seculo perpetuo mansura, hæc ve-
lut cito abhinc transitura cœlestia cupiat
contemplari, nedum in illis in æternum
permanere: Ego igitur, Johannes Dakyn,
rector ecclesiæ parochialis de Kirkby-Ra-
venswath, in comitatu Eboracensi, archi-
diaconatus Richmondiæ, Cestrensisque di-
œceſeos

æceseos, hujus, inconstantis seculi fluctibus
 nunc huc, nunc illuc multum diu agitatus,
 nihilque firmum inter ipsius vanitates ani-
 madvertens, sed certissime sciens mortem
 ex æquo omnibus imminere, et exitus mei
 die nihil esse incertius ; errores, ignoran-
 tias, et peccata mea quam gravissima ex
 animo deflere, et juventutis meæ habenas
 diutius solutas jam tandem stringere, ac in
 æternæ quietis portum deduci desiderans :
 Ipsa mea peccata, qua possum, Eleemosy-
 nariæ largitione de bonis mihi a Deo col-
 latis, et meæ villicationi ab aliis concredi-
 tis, expianda redimendaque decrevi. Cum
 enim per excellentissimos et illusterrissimos
 Principes et Dominos Philippum et Ma-
 riam, Regem et Reginam Angliæ, Franciæ,
 Neapolis, Jerusalem, et Hiberniæ, Fidei
 Defensores, Principes Hispaniarum et Sici-
 liæ, Archiduces Austriæ, Dukes Mediolani,
 Burgundiæ, et Brabantiaæ, Comites Haf-
 purgi, Flandriæ, et Tirolis, per eorum Li-
 teras Patentes eorum magno sigillo sigillatas,
 subdatas apud Westmonasterium vicesimo
 sexto die Octobris, annis regnum suo-
 rum secundo et tertio, mihi præfato Jo-
 hanni

hanni Dakyn inter cætera sit concessum,
 quatenus Ego, hæredes, executores, aut
 assignati mei, vel aliquis aut aliqui eorun-
 dem ad puerorum et juvenum educatio-
 nem, et eruditionem pauperum quoque
 et egenorum sustentationem et relevamen,
 quandam Scholam sive Eleemosynariam
 Domum sive Hospitale, in honorem Sancti
 Johannis Baptistæ, in Kirkby-Ravenswath
 prædictâ, prope cœmeterium ejusdem ec-
 clesiæ parochialis de Kirkby-Ravenswath,
 de duobus gardianis, uno præceptore, sive
 magistro scholarium, in arte grammaticalی
 sufficienter docto et perito; ac certis aliis
 pauperibus, infirmis, et egenis, juxta et se-
 cundum ordinationes, statuta, et fundati-
 onem, per me, hæredes, et executores, aut
 assignatos meos, vel aliquem eorundem in
 hac parte fienda, stabilienda, et ordinanda,
 de hujusmodi gardianis, præceptore, sive
 magistro, pro pueris, juvenibus, pauperibus
 sive egenis instruendis erudiendis suble-
 vandis et sustentandis facere, fundare, eri-
 gere, creare, et stabilire possim vel possint
 perpetuis futuris temporibus duraturam:
 Et quod Ego, dictus Johannes Dakyn, hæ-

redes, executores, et assignati mei, et nostrorum cuiuslibet, de tempore in tempus ordinare, condere, et fundare possim et quilibet nostrorum, possit, ordinare, condere, et fundare ordinationes, regulas, et statuta, pro bono et saluberrimo regimine dictorum pauperum, scholarium, et gardianorum, puerorum et infirmorum dictæ Domus five Hospitalis, quoties opus et necesse fuerint; et quod dicta Domus Eleemosynaria five Hospitale, cum per me, hæredes, executores, aut assignatos meos erecta, fundata, et stabilita, fuerit Schola five Domus Eleemosynaria five Hospitale, in honorem Sancti Johannis Baptistæ, de Kirkby-Ravenfwath perpetuo vocetur, nominetur, et nuncupetur; cæteraque de eorum gratiâ speciali fecerint, licentiam dederint, concederint, elargiti fuerint et decreverint, prout in eorum dictis literis patentibus plenius appareat; Ego, igitur, prædictus Johannes Dakyn, hujusmodi licentiâ et concessione fretus pro bonâ et felici dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis perpetua gubernatione et conservatione statu-

statuendum et ordinandum, duxi sub eo
qui sequitur tenore verborum.

I.

*Nominatio Eleemosynariæ, et quod vocetur
Eleemosynaria Sancti Johannis Bap-
tistæ, de Kirkby-Ravenstwath.*

In primis, volo, ordino, et statuo, quod domus prope ecclesiam parochialem de Kirkby-Ravenstwath, prædictâ impensis meis jam noviter constructa et ædificata, deinceps sit et perpetuò maneat Eleemosynaria sive Hospitale, et quod vocetur Eleemosynaria sive Hospitale Sancti Johannis Baptistæ prædicti. Quodque ejusdem Eleemosynariæ sive Hospitalis duo sint gardiani laici et seculares de gravioribus et honestioribus parochianis domicilia foventibus et inhabitantibus dictæ parochiæ de Kirkby-Ravenstwath assumendi, et per me quamdiu vixero ad libitum meum nominandi deputandi et quoties mihi visum fuerit, amovendi. Dictique duo gardiani post mortem meam quolibet biennio

in festo decollationis Sancti Johannis Baptiste modo infra scripto eligentur eruntque amovibiles; qui duo gardiani curam et custodiam Eleemosynariæ sive Hospitalis prædicti pro futuro tunc biennio sollicite gerant et subeant, prout inferius declarabitur.

II.

*Statuta pro Gardianis. Modus eligendi
Gardianos, et eorum Juramentum.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod Willimus Smithson et Johannes Brignall sint primi dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis gardiani: Et quod, post mortem meam, in dicto festo decollationis Sancti Johannis Baptiste, rector, vicarius, vel parochus dictæ ecclesiæ parochialis de Kirkby-Ravenswath tunc præfens, et scholæ ibidem ludimagister, adjunctis sibi sex de gravioribus et honestioribus ejusdem parochiæ, ut præfertur, parochianis, quos dictus rector, vicarius, vel parochus, et gardiani dictæ ecclesiæ parochialis in dictâ ecclesiâ forte

forte præsentes vel major pars eorum
duxerit eligendos, et non pluribus (exclu-
sis etiam antiquis gardianis) in aulâ supe-
riori dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis
simul convenient; et ostio de intus clauso
dictorum sex virorum nomina et cogno-
mina separatis ejusdem formæ schedulis
scripta, ac rotundâ cerâ ad modum pila-
rum ejusdem quantitatis conclusa et invo-
luta in urnam sive ollam coopertam et
clausam simul mittantur: Dictus quoque
rector, vicarius, vel parochus duas de præ-
dictis pilis, quas fors obtulerit, de prædictâ
urnâ extrahet et aperiet. Post quarum
pilarum aperturam illi duo viri quorum
nomina in ipsis duabus schedulis sic ex-
tractis conscribuntur, gardiani erunt per
sequens tunc biennium et non ultra; qui
statim antequam dictâ aulâ exeant jura-
mentum præstabunt, tactis per eos et deof-
culatis facro-sanctis Dei Evangelii **is** coram
dicto rectore, vicario, vel parocco illud
ministrante in formâ sequenti videlicet:

Juramentum Gardianorum.

I, N. do swear by the holy contents of this book, that, during the time of mine office, I shall truly administer the goods of this Alms-house or Hospital, according to the statutes and ordinances of the same now made, or hereafter to be made ; and shall gather the rents, legacies, and other commodities thereunto belonging, from time to time, as they shall be due, and make a true accompt of the same in writing, to be registered in the common book thereunto appointed, within twenty days next after I shall depart from this office, before the next wardens, the rector, vicar, or parish priest, and the schoolmaster of the grammar school for the time being ; giving competent warning before, openly in the parish church, of the day of mine accompt ; and, furthermore, shall make a perfect inventory, indented, of all the goods of the said Alms-house, with all the money and other profits that then shall remain, and deliver the keys pertaining to
the

the same, and of the chefts thereof, within the said twenty days, to the hands of the next wardens; and duly obferve and keep all such statutes of the house which concern me. So help me God, and the holy contents of this book.

III.

Alius Gardianus loco recusantis seu demor-tui eligendus.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod si dicti duo gardiani, sic in posterum eligen-di, vel eorum alter officium prædictum subire recusaverit, ille sic recusans viginti denarios ad usum Eleemosynariæ five Ho-spitalis, ante ejus e domo egressum persol-vet, et aliis de prædictis quatuor parochi-anis loco recusantis tunc præsens simili modo, quo supra, videlicet per extractio-nem pilæ schedulæ inclusæ eligatur. Et si ambo vel eorum alter ante finitum bien-nium (quod absit) mortem obire contige-rit, alii vel alias simili formâ intra decem dies tunc sequentes eligendus defuncti vi-cem suppleat.

IV.

IV.

*Quod nullus illorum quatuor sorte Repul-
forum sequentis Biennio eligatur aut
sumatur.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod reliqui quatuor viri quorum nomina cerâ conclusa in urnâ post prædictos duos sorte, ut prædicitur, extractos remanferint, in proximâ electione sequenti biennio fiendâ per dictum parochum et gardianos non elegantur aut sumantur, sed in quartum ex tunc sequentem annum (si ad hoc idonei tunc fuerint) quiete permaneant, eorum electionem et sortem æquo animo et sine murmure expectaturi.

V.

De Gardianorum Stipendiis et Compoto.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod uterque dictorum duorum gardianorum post redditam suam de receptis et expositis rationem et compotum in formam in præscripto

scripto juramento declaratam (in cuius compoti redditione nullus parochianorum de Kirkby, volens interesse, aliquo modo excludatur) decem solidos pro utroque anno administrationis suæ, videlicet, vigin- ti solidos pro ipsis duobus annis per manus novorum gardianorum allocabuntur et ha- bebunt præter et ultra omnes expensas utiles et necessarias. Quod si, inter red- dendam dictam rationem dubium aliquod vel aliud quicquid dictæ Eleemosynariæ sive Hospitale, damnosum emerserit, quod novorum gardianorum, rectoris, vicarii, vel parochi, et ludimagistri discretione et industriâ discuti nequeat et terminari, ii- ðem novi gardiani hoc loci Ordinario in- tra quadraginta dies proxime sequentes studiose referent, et curabunt quatenus, dicti antiqui gardiani de eorum gestis co- ram dicto Ordinario personaliter propriis eorum expensis respondeant juxta formu- lam ecclesiæ; Quia contingit de religi- domi.

VI.

Statuta Ludimagistrum concernentia sequuntur.—De Forma electionis Ludimagistri; et ejus Officio, Stipendio, et Juramento.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod Dominus Richardus Cook, sacerdos, sit primus in dictâ Eleemosynaria ludimagister, ad libitum meum, quoad vixero, amovendus: Et quod post mortem meam, quoties officium ludimagistri prædicti per mortem, privationem, promotionem, aut alio quovis modo vacare contigerit, duo gardiani prædicti, cum rectore, vicario, vel parocho dictæ ecclesiæ parochialis de Kirkby-Ravenwath, ac duobus ad minus guardianis, ejusdem ecclesiæ parochialis simul convenient de alio ludimagistro collocuturi. Et illi omnes vel eorum major pars alium in demortui vel amoti locum substituant, nempe virum honestum, irreprehensibilem, in ordine sacerdotali constitutum, non religiosum, nullibi saltem cum curâ animarum

rum beneficiatum, neque officiatum, doc-
tum et in arte grammaticâ peritum, qui
pueros ipsius parochiæ de Kirkby-Ravens-
wath, et alios ad se confluentes gratis do-
cebit, et in grammaticâ, rhetorica, et me-
tro pro cujusque pueri ingenii capacitate
~~instruet~~ et informabit diligenter. Quod si
dicti duo gardiani et alii prænominati intra
sexaginta dies a die mortis, privationis, seu
promotionis hujusmodi illam substitutio-
nem facere neglexerint, ex tunc substitutio
hujusmodi ad Decanum et Capitulum Ebo-
raci (modo ipsi intra triginta dierum spa-
tium a tempore notitiæ id perficiant) per-
tinebit. Et si ipsi intra dictos triginta dies
præmissa facere neglexerint, ex tunc pro-
visio et ordinatio dicti ludimagistri ad Epif-
copum Cestrensem, (sede plenâ) vel ad De-
canum et Capitulum ibidem (sede vacante)
illâ tantum vice devolvatur. Dictusque
ludimagister novem libras quolibet anno
ad quatuor anni terminos, videlicet, ad
Festa Annunciationis Beatæ Mariæ Virgi-
nis; Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ;
Michaelis Archangeli; et Nativitatis Do-
mini—per æquales portiones per manus
dicto-

dictorum duorum gardianorum, de redditibus et proventibus dicti Hospitalis, pro salario sive stipendio suo percipiet et habebit. Atque intra septem dies post suscep-
tum officium coram gardianis, rectore, vi-
cario, vel parocho, hoc sequens præstabit
juramentum, videlicet :

Juramentum Ludimagistri.

I, N. do swear by the holy contents of this book, that I shall freely, without exacting of any money or other gains, diligently instruct and teach the children of this parish, and all other that shall resort unto me, in grammar and other humane doctrine, according to the statutes thereof made; and I shall not read unto them any corrupt or reprobate books or works, set forth at any time contrary to the deter-
mination of the universal Catholic church,
whereby they might be infected in their
youth with any kind of heresy or corrupt
doctrine, or be induced to an insolent
manner of living; and further, shall ob-
serve all the statutes of this Alms-house or

to the Doctrines of the Church. Hospital,
of the united Kingdom of Eng-

Hospital, now made, or hereafter to be made, which concern me, and do nothing to the prejudice thereof, but help to maintain the same from time to time, during mine abode herein, to the best of my power. So help me God and the holy contents of this book.

VII.

*De Ludimago post ipsius Promotionem
amovendo.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod si dictus ludimagister, post hujusmodi electionem, tempore regiminis dictæ scholæ cum curâ animarum beneficiatus extiterit, vel alicui officio, ministerio ecclesiastico vel seculari se immiscuerit, quod ex tunc intra unius anni dimidium a dictæ scholæ regimine prorsus discedat, et gardianis ac aliis predictis libera sit in formâ predictâ alium ludimagistrum suo loco substituendi et deputandi facultas.

VIII.

*De Missis et Suffragiis per Ludimagistrum
in Ecclesia dicendis.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod singulis diebus dominicis et festivis et ad minus bis in hebdomadâ (nisi justo sit impeditus impedimento) dictus ludimagister missam ad altare Sancti Johannis Baptistæ, intra dictam ecclesiam parochialem de Kirkby-Ravenswath situm, celebrabit. In qua pro felici statu et salute excellentissimorum principum Dominorum nostrorum Philippi et Mariæ Regis et Reginæ Angliæ, meique Johannis Dakyn, et Georgii Dakyn, Armigeri, ac aliorum mei ac dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis benefactorum, dum vixerimus; et post nostrum mortem pro animabus nostris et potissimum pro animabus Willimi Knight, olim Bathoniensis et Wellensis Episcopi (de cuius bonis præsens hæc recepit fundamentum Eleemosynaria); Christophori Dakyn, Presbyteri; Thomæ Leghe, Militis; Roberti Holgate, nuper Eboraci Archiepiscopi;

Cuth-

Cuthberti Walker, laici; et parentum nostrorum, ac mei, et dictæ Eleemosynariæ defunctorum quorumcunque, divinam miserationem interpellabit: Idemque iudimagister “Placebo et Dirige,” cum animarum recommendatione, et missâ “de Requiem” pro dictis animabus semel quolibet mense, præter suffragia prædicta intra præfatam ecclesiam celebrabit.

IX.

De Suffragiis per Ludimajstrum in Schola dicendis; et de Ministerio suo circa Curam Parocho exhibendo.

ITEM, quod dictus Iudimagister quolibet mane quam primum scholam docendi gratiâ ingrediatur psalmum, “Deus misereatur;” una cum “Kyrie eleison;” et “Oratione Dominica;” ac “Salutatione Angelica;” pueris alternatim respondentibus, cum suffragiis et collectis, “Domine, sancte pater, et de spiritu sancto;” distinctâ voce personabit. Et rursum, sub suum a dictâ scholâ recessum, quâlibet vesperâ, de-

cantatâ prius únâ vel alterâ antiphonâ de Trinitati, cum versiculo et collectâ congruentibus, postea psalmum, “ de Profundis,” cum collectis, “ Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Willimum et Robertum, &c.” ac “ miserere quos Dominus” similiter recitabit. Idem quoque ludimagister quoties parochus dictæ ecclesiæ parochialis de Kirkby-Ravenswath momentaneo morbo laborare, vel sacramentorum et sacramentalium ministrations caufâ intra eandem parochiam occupari contigerit, tam in missarum et aliorum divinorum officiorum intra dictam ecclesiam parochiale celebratione, quam in sacramentorum et sacramentalium celebratione intra eandem parochiam, quoties, ut præfertur, evidens imminebit necessitas, loco et vice parochi prædicti subserviet diligenter. Nec non singulis diebus Dominicis et festivis superpelliceo indutus, cum pueris suis quotquot ad cantandum apti fuerint in choro dictæ ecclesiæ parochialis intererit, ac in cantibus et aliis necessariis officiis in matutinis, missâ et vesperis, nisi juste impediatur, deserviet reverenter.

X.

De Ludimagiſtri absentia ſive venia obtenta, vel non obtenta.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod ludi-magister antedictus ultra quatuor-decim dies in anno, ſimul vel interpolatim numerandos a dictâ ſcholâ ſe non absentabit, et hoc petitâ prius (licet non obtentâ) a dictis gardianis vel uno eorundem licentiâ. Nec extra cubiculum fuum, cum infra parochiam fuerit, pernoctabit, vel alias ſe fine licentiâ petitâ et a dictis duobus gardianis ac rectore, vicario, vel parocco obtentâ aliquo unquam tempore ultra triginta dies in anno absentabit. Quod ſi fecerit, vel in exequendo officio negligens aut remiſſus fuerit, et ſemel atque iterum, separatis tamē vicibus per viginta dies invicem diſtantes, monitus per gardianos ſimul exiſtentes ad ſe reformandum, non emenda-verit, ſed tertio deliquerit, ex tunc dicto ſuo officio ipſo factō fit privatus: Ita quod bene licebit dictis duobus gardianis et aliis

supra nominatis (eo non vocato) alium ludimagistrum post viginti dies secundam monitionem sequentes sub formâ prædictâ assumere et providere.

XI.

De Ludimagistro criminoso per Ordinariū corrigendo, et, si opus fuerit, amoveendo.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod si dictus ludimagister lusibus aut potibus nimium deditus, vel aliquo alio crimine, quod ecclesiasticâ egebit coercitione sive correctione, notatus fuerit, detectus aut infamatus, hoc per loci Ordinarium secundum juris ecclesiastici normam et canonicas sanctiones expiabitur, et si criminis quantitas id exegerit, per loci Ordinarium ab officio amovebitur.

XII.

XII.

Qui Authores per Ludimagistrum Scholasticis legendi et tradendi ; et quibus Horis sit docendum.

ITEM, cum juvenilis ætas ad malum sit prona, et, ut scribit Flaccus, quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu ; volo, ordino, et statuo, quod ludimagister prædictus hoc cum primis curatum habebit, ut puerorum mores probe et decenter componat. Et eos ab omni furto, mendacio, juramento, et turpiloquio strictius prohibeat. Nec non eos authores pueris ipsis interpretetur et legat, quæ virtutem, pietatem et civilitatem, moralem scientiam, et non lasciviam seu petulantiam inducant. Puto, in hoc regno Angliæ magis frequenter et usitatum Decalogum in Latino ; Catonem ; Æfopi Fabulas ; Ciceronem de Officiis, de Amicitia et de Senectute, ac ipsius Epistolas ; Salustium ; item Virgilium ; et Terentium ; ac id genus alios, habitâ interim pro cujusque pueri ætate et capacitate, ratione et discretione congruenti.

gruenti. Idemque ludimagister quolibet die feriato saltem ab horâ sextâ in aurorâ in æstate, et septimâ in hyeme docere incipiet. Et sic docendo in undecimam (nisi missæ celebratione cui omnes pueros superros precaturos interesse volo) permanebit. Illud idem a prandio ab horâ primâ in sextam in æstate et quintam in hymen dili-genter facturus.

XIII.

Quod hæc Statuta semel quotannis per Ludimagistrum publice legantur et exponantur.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod omnia et singula statuta nunc edita et post-hac per me vel alios auctoritate legitimâ edenda in festo Sancti Hieronymi, videlicet, ultimo die Septembris quolibet anno per dictum Ludimagistrum in praesentiâ dictorum duorum gardianorum, rectoris, vicarii, vel parochi, hypodidascalii, scholarium, et pauperum in dictâ Eleemosynariâ sive Hospitali tunc degentium in aulâ dicti Hospi-

Hospitalis, indicto prius silentio, publice legantur, et per eundem ludimagistrum in vulgari ut omnes suum officium planius intelligant, fideliter interpretentur et exponantur. Et si dictum festum in Dominicâ contigerit, tunc in craftino sequenti præmissa exequantur.

XIV.

De Præsentatione Ludimagistri ad Vicarium de East-Cowton, post Decennium facienda.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod cum patronatus de East-Cowton, et vicariæ perpetuæ ibidem Cestrensis dioceſeos, quem nuper mihi et hæredibus meis juste acquisivi modo ad dictam Eleemosynariam sive Hospitale ex meo dono noscitur pertinere, postquam prædictus ludimagister per decennium in dicto suo officio et scholæ regimine laudabiliter se gesserit, et senio forte vel morbo perpetuo gravatus fuerit (modo in dictâ scholâ circa puerorum instructionem, finito decennio, adhuc permaneat)

maneat) cum et quam primum post dictum decennium, ipsam vicariam vacare contigerit, ad eandem per præfatos duos gardianos et pauperes, si eam acceptare voluerit, Ordinario loci præsentetur admittendus. Quod si ipsam vicariam perpetuam acceptare noluerit, vel aliquâ justâ de causâ non potuerit, tum bene licebit dictis duobus gardianis et pauperibus aliquam personam idoneam ad eandem vicariam perpetuam sic vacantem illâ vice præsentare. Ita, videlicet, quod in quâlibet vacatione post decennium expletum dicti ludimagistri fiat optio an eam vicariam velit acceptare.

XV.

De Ludimagistri Morbo perpetuo vel temporali.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod si ludimagister prædictus, pro tempore existens aliqua infirmitate vel defectu temporali, ultra unam mensem aliquando teneatur, quo minus suum officium debite valeat adimplere, alias sacerdos, æque doctus ho-

honestus et irreprehensibilis (si commode potuerit inveniri) per dictos duos gardianos, quoad ludimagister prædictus convalluerit et non ultra, sumptibus dicti ludimagistri exhibendus præficiatur. Quod si morbus vel defectus prædictus citra ejus culpam perpetuus indicabitur et ad dictam vicariam de East-Cowton toto suæ infirmitatis tempore forte plenam absque ejus facto promoveri non poterit; ex tunc prædicti duo gardiani (eo penitus amoto) aliud ludimagistrum providebunt, Et tres libras, sex solidos, et octo denarios, durante vita, prioris ludimagistri, vel saltem usque-dum ad dictam vicariam de East-Cowton per loci Ordinarium admittatur ad duos anni terminos, videlicet, ad festum Sancti Michaelis Archangeli et Paschæ ex tunc proxime sequentis, de stipendio dicti futuri ludimagistri deducendos, solvere curabunt diligenter.

XVI.

*De Subsidio et Præstatione Ludimastro
allocandis.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod si
subsidium vel aliqua alia præstatio sit a lu-
dimastro aliquâ de caufâ ordinariâ vel
extra-ordinariâ in posterum solvendum:
Illud quocunque nomine censeatur de pro-
ventibus dictæ Eleemosynariæ sive Hospi-
talis super-ac crescentibus post reparations
et expensas utiles et necessarias solutas pri-
mitus per dictos gardianos ludimastro
allocabuntur. Curabuntque gardiani præ-
dicti, quoad poterunt, quatenus ludimagi-
ster prædictus cum integro suo stipendio
et proficuis sibi limitatis vitam agat quie-
tam et omni follicitudine vacuam.

XVII.

XVII.

Statuta Hypodidascalum et Scholares tangentia sequuntur.—De Hypodidascalorum per Ludimagistrum præficiendo, et de ejus Salario ac Officio.

ITEM, quo liberius dictus ludimagister officium suum parocho prædicto assistendo exigentibus, ut prædicitur, necessitatibus impendat, volo, ordino, et statuo, quod habeat sub se unum scholarem ad suum libitum eligendum et amovendum (quem hypodidascalum appellari volo) de pauperibus intra dictam parochiam de Kirkby-Ravenfwath oriundum, modo virtutibus et doctrinâ cum cæteris fuerit præditus, qui cum in presentiâ ludimagistri tum in absentiâ pueros doceat, et ipsum ludimagistrum in omnibus pro posse suo adjuvabit. Idemque hypodidascalus viginti solidos ad Festa Paschæ et Michaelis Archangeli per æquales portiones per manus dictorum duorum gardianorum pro salario suo percipiet. Et quoties ludima-

D gister

gister prædictus morbo fuerit gravatus, (modo morbus mensem non excedat) vel ipsius ludimagistri officium vacaverit pueros dictæ scholæ, quoad dictus ludimagister convaluerit, vel aliis præficiatur, per se docebit. Necnon duos solidos qualibet hebdomada tempore morbi vel vacationis hujusmodi pro labore suo percipiet, præter et ultra salarium suum memoratum. Hujusmodique hypodidascalus ultra triennium in prædicto suo officio non permanebit. Sed aliis post triennium, vel intra, si ludimagistro visum fuerit, deputabitur.

XVIII.

De Scholaribus protervis et absentibus Puniendis.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod si quis scholarium in tantam proterviam sive contumaciam fuerit lapsus, ut ludimagistri imperium et ejus moderatam correctionem contemnat, tamdiu a dictâ scholâ expulsus maneat, quoad gardianorum judicio humiliter ludimagistri correctionem suscipiens resti-

restitutionem mereatur. Et si quis scho-
larium a dictâ scholâ per triginta dies in
anno, cum tempus docendi fuerit, absque
causâ rationabili per gardianos et ludima-
gistrum approbandâ, se absentaverit dictæ
scholæ beneficio postmodum perpetuo ca-
rebit.

XIX.

*De Exercitio Scholarium Diebus Festis et
Semi-Festis.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod scho-
lares quotquot infra parochiam de Kirkby-
Ravenwath, moram facere contigerint,
singulis diebus festis et semifestis post me-
ridiem ad scholam vel ad ecclesiam pro
ludimagistri arbitrio honeste confluant et
accedant, scriptioni, epistolarum confecti-
oni, aut alii piæ et religiosæ operæ, et ex-
ercitationi, prout temporis opportunitas et
ludimagistri discretio dictaverit, vacaturi.

XX.

Pro Pauperibus Statuta sequuntur.—De Pauperibus; et eorum Moribus, Stipendio, et Amotione.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod Willimus Barthram, sexagenarius, famulus meus, claudus et valetudinarius; Willimus Ramshaw, senex et cœcus; necnon Agnes Bolton et Margareta Tinkler, infra dictam parochiam de Kirkby-Ravenswath oriundi, seu saltem in eâdem per decennium moram facientes, sint primi in dictâ Eleemosynariâ five Hospitali pauperes, quoad vixerint, modo infra scripto alimentandi five sublevandi. Et quod alii in futurum pauperes in istorum vel alicujus eorum loco, affundi vere pauperes sint, ad mendicitatem redacti, et ad minus septuagenarii vel perpetuo morbo laborantes in dictâ parochiâ de Kirkby-Ravenswath oriundi, vel saltem qui in eâdem per decennium moram fecere, et in eâdem Eleemosynariâ cubiculis ad hoc paratis pernoctent. Quilibet quoque eorum septem denarios pro hebdomadâ in fine

fine cujuslibet mensis per eosdem duos gardianos annuatim persolvendos ad eorum usum necessarium percipient et habebunt. Prædicti quoque pauperes parochiam de Kirkby-Ravenswath mendicandi gratiâ aliquando non exeant. Quod si fecerint, vel litigiosi aut nugatores fuerint, sive dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis statuta, quantum eos concernant, servare, et gardianis et ludimagistro in omnibus honestis humiliter obedire neglexerint, et defuper diversis tamen vicibus modo et formâ in statuto de ludimagistro propter absentiam expellendo servatis, moniti se non reformaverint, omni dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis beneficio et commodo ipso facto fint privati, et alias privati loco per dictos duos gardianos et ludimagistrum formâ infra scriptâ eligatur et assignetur.

XXI.

*De Pauperum Electione, et eorum Jura-
mento.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod quoties aliquis pauperum prædictorum aut successorum eorundem mortem obierit vel aliis ex causis præmissis privatus aut amotus fuerit, alius ætate et qualitate præscriptis ejus loco per dictos duos gardianos et ludimagistrum, vel duos eorundem, tertio ad hoc vocato infra quatuordecim dies immediate sequentes omni corruptione et pretio sepositis, præficiatur. Et si illud facere neglexerint, aut pretium aliquod receperint, ex tunc pauper hujusmodi ejiciatur et alterius pauperis præfectio ad rectorem, vicarium, vel parochum dictæ ecclesiæ de Kirkby pertineat illâ vice, modo ille talem absque pretio substituat, qui qualitatibus prædictis sit insignitus. Pauperes vero prædicti hoc subscriptum præstabunt juramentum.

Jura-

Juramentum Pauperis.

I, N. do fwear, by the holy contents of this book, that I shall duly obferve and keep all the statutes and ordinances of this Alms-house or Hosptial, now made, or hereafter to be made, which do concern me; and shall not do any thing that fhall be hurtful, or a loſs to the fame, or be of council thereunto; but maintain the goods and rights thereof, to the best of my power at all times. So help me God, and the holy contents of this book.

XXII.

De Pauperum Officiis, et Laboribus quotidianiſ.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod pauperes prædicti (nisi infirmitas impedierit) quolibet die infra dictam ecclesiam de Kirkby-Ravenſwath missam audiant, et precibus, quamdiu in ecclesiâ fuerint, infiſtant. Et pro Eleemosynariæ ſive Hosptitalis fundatoribus et benefactoribus ſpeci-aliter

aliter orent. Et si forte nulla in eâdem ecclesiâ aliquo die missa celebrabitur, unam horam integrâ ante meridiem in dictâ ecclesiâ orationibus, ut supra, diligenter insistant. Reliquam diei partem lanificio pro propriis eorum vestimentis conficiendis, vel alicui honesto labore, unde uberiorum sibi victum consequi valeant, modo vires suppetant, vel orationibus, si lubeat, tribuendo.

XXIII.

De Scholæ Mundatione, per Pauperes quotidie facienda.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod unus prædictorum pauperum, qui fospes fuerit, quolibet die in vice vel hebdomadâ suâ scholam prædictam statim postquam scholares exierint, purgabit, et eam scopâ mundabit, ac postea ostium ejusdem ferabit et clavem secum in proximum mane vel quoad scholares in prædictam scholam rursum ingrediantur retinebit, et tunc fores scholæ aperiet.

XXIV.

XXIV.

*Quod nulla sit de Paupere Præficiendo,
Promissio, Advocatio, vel Pollicitatio.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod nulla fiat promissio sive advocatio vel pollicitatio verbo vel scriptis de aliquo paupere in dictam Eleemosynariam præficiendo ante mortem alicujus pauperis in eâdem. Quod si apertis argumentis hoc factum esse aliquando constiterit, pauper hujusmodi ejiciatur et alias, formâ præscriptâ, per rectorem, vicarium, vel parochum eâ vice libere præficiatur.

XXV.

*Quod æquales fit Virorum et Mulierum
Pauperum Numerus.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod tam viri quam mulieres pauperes in dictam Eleemosynariam sive Hospitale admittantur et recipiantur: Curentque gardiani prædicti, quoad poterunt, ut æqualis fit numerus

numerus utriusque sexus, nec conjugatus aliquis in dictam domum loco pauperis aliquando recipiatur.

XXVI.

*Quod pro quibuslibet Triginta uno Solidis
de novo accrescentibus, Supernumerarius
Pauper assumatur.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod si quando annui redditus dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis piorum largitione (quod faxit Deus) ad summam triginta unius solidorum, ultra quam nunc est, augeri contigerint, (nisi collatoris voluntate in dictæ Eleemosynariæ usum aliter disponantur) alius dictæ parochiæ pauper in dictam Eleemosynariam five Hospitale assumatur, aliorum more et æquali stipendio alimentandus et exhibendus, qui prescriptum subbit juramentum. Et sic pro quantitate fructuum accrescentium, modo summam triginta unius solidorum attingant, crescat in dictâ domo pauperus numerus in perpetuum.

XXVII.

XXVII.

*Quod prohibita sit Pauperibus Utensiliorum
Alienatio.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod qui-
libet pauper, in dictam Eleemosynariam
sive Hosptiale in futurum recipiendus, sta-
tim antequam in dicta Eleemosynariâ per-
noctabit, aut aliquod commodum inde per-
cipiet, duos dabit fidejussores idoneos et
habiles intra dictam parochiam de Kirkby
Ravenswath habitantes, qui scriptis inter-
venientibus fidejubeant sub pænâ quinque
marcarum, pauperem sic receptum nihil
utensiliorum aut rerum dictæ Eleemosyna-
riæ sive Hosptialis in suo cubiculo vel alibi
existentium, alienaturum, venditurum, mu-
taturum aut quovis modo deterioraturum,
nisi in quantum usus moderatus vel dicto-
rum duorum gardianorum consensus et li-
centia prius obtenta permiserit. Et quod
nihil juris aut proprietatis in utensilibus re-
bus et bonis mobilibus dictæ Eleemosynariæ
sive Hosptialis sibi aliquatenus vendicabit.

XXVIII.

XXVIII.

De Pauperum Cubiculis, ex Causa mutan-
dis.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod pauperum nunc receptorum et in posterum recipiendorum potentiores et valentiores, sive masculi fuerint sive fœminæ in superioribus cubiculis dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis morentur et pernoctent. Et si quis pauperum potentiorum et valentiorum hujusmodi superius jacentium graviori forsan morbo vel perpetuâ infirmitate aliquando captus aut detentus fuerit, quæ reliquorum morbum et adversam valetudinem in inferioribus cubiculis jacentium et morantium notorie noscitur superare, volo in eo casu ut cubiculum suum superius mutet cum uno eorum, qui inferius jacent ad limitationem et discretionem dictorum duorum gardianorum, si voluerit et ibidem maneat quo ad infirmus prædictus de præfato morbo convalescat, vel de medio sit sublatus.

XXIX.

XXIX.

*Statuta Domum concernentia sequuntur.—
Aliorum Statutorum, sive Clauses-
rum eorundem, exemplar in Ecclesia
publice suspendendum.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod præ-
sentium statutorum exemplar seu faltem
clausulæ et partes eorundem, quæ gardia-
nos, ludimagistrum, et pauperes prædictos
concernunt, et eorum juramenta in perga-
meno fideliter, scriptum et in vulgari per
me translatum in quâdam tabulâ prope al-
tare Sancti Johannis Baptistæ intra dictam
ecclesiam parochialem de Kirkby-Ravens-
wath catenâ ferreâ suspendendum et affi-
gendum publice perpetuo permaneat. Eâ
intentione ut statutorum prædictorum in-
spectione et frequenti eorum lectione dic-
torum guardianorum ludimagistri et pau-
perum officia et obsequia legentibus sint
testatoria.

XXX.

De Cista communi, et ejus Seris.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod sigillum commune, liber compotus gardianorum, munimenta et pecuniae numeratae dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis in quâdam cista ad australē partem altaris Sancti Johannis Baptistæ intra dictam ecclesiam parochialem de Kirkby-Ravenswath, vel alibi intra Domum dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis, ubi tutius videbitur custodiri, reponantur et fideliter serventur. Quodque cista prædicta tres habeat feras diversis clavibus feratas, quarum clavium una penes ludimagistrum, et reliquæ duæ penes dictos duos gardianos separatim et divisim perpetuo custodianter. Ita, quod ne unus solus dictorum gardianorum et ludimagistri absque reliquis cistam prædictam aliquando poterit aperire, vel sigillum librum compotus, munimenta aut pecunias prædictas aliquatenus attriccare. Et si aliquis eorundem ultra septem dies a parochiâ abfuturus sit, clavem suam penes recto-

rectorem, vicarium, vel parochum ecclesiæ
in redditum dimittat.

XXXI.

*De Quinque Libris in Cista continuo reman-
suris, mutuo alicui non tradendis.*

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod
quinque libræ, per me ad usum dictæ
Eleemosynariæ donatæ et oblatæ ac in
communi cistâ infra ecclesiam parochialem
prædictam conservandæ, nulli unquam ho-
mini, alicujus rei aut commoditatis gratiâ
mutuo dentur, nisi sufficiens pignus pro
securâ solutione ejusdem intra sex menses
fiendâ, inferatur et tradatur, nec alienentur
quovis modo. Sed continuo ad inexpecta-
tam illius Eleemosynariæ necessitatem et
usum necessarium quotannis contingentem
tantummodo conserventur et custodiantur.
Quod si (quod absit) aliquorum inexhaustâ
cupiditate a dictâ cistâ aliquando quâvis de
causâ contra formam prædictam extrahan-
tur, gardiani et ludimagister prædicti tam-
diu debitis salariis per loci Ordinarium

privabuntur quoad pecuniæ prædictæ sic extractæ rursum inducantur, et in pristinum locum ad usum prædictum reponantur. Et in eo casu libera sit ordinario sequestrandorum fructuum facultas. Et quoties lubeat de præmissis inquirat.

XXXII.

De Obitu quotannis in Festo Sancti Hieronymi in Ecclesia servando, et de Distributionibus ibi faciendis.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod quolibet anno in dicto festo Sancti Hieronymi, si dominica non fuerit, alioquin proximo die ex tunc sequenti, solennis fiat obitus, five commemoratione in dictâ ecclesiâ parochiali de Kirkby-Ravenswath, cum “Placebo et dirige,” ac missâ de “Requiem,” pro animabus omnium parochianorum dictæ parochiæ et aliorum in specie suprannominatorum, cum cantu et campanarum pulsatione. In quo obitu intersint duo dicti gardiani, ludimagister, hypodidafcalus, scholares, et pauperes omnes ipsius

Eleemo-

Eleemosynariæ five Hospitalis et gardiani ecclesiæ parochialis si voluerint. Qui duo gardiani dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis pro hujusmodi obitu dabunt rectori, vicario, five parocho ibidem pro suo labore duodecim denarios, cuilibet presbytero stipendario dictæ parochiæ præsenti quatuor denarios, cuilibet gardianorum ecclesiæ parochialis ibidem interesse volenti quatuor denarios, cuilibet quatuor pauperum Hospitalis prædicti quatuor denarios, ludimagistro octo denarios, hypodidascalο quatuor denarios, aquæbajulo parochiæ octo denarios pro suo labore et campanarum pulsatione; uterque etiam ipsorum duorum gardianorum habebit octo denarios pro obitu prædicto, decem præterea solidi inter pauperes dictæ parochiæ de Kirkby eodem die videlicet unicuique pauperi unus denarius per eosdem gardianos distribuantur et erogentur. Et si quid de proventibus five redditibus dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis, peractis præmissis, et dictæ Eleemosynariæ reparationibus, et aliis expensis utilibus et necessariis, tam gardianorum, quam aliorum in domus

ufum laborantium debite ac decenter fac-
tis et solutis, supererit, vel si res, animalia,
aut alia bona mobilia dictæ Eleemosynariæ
five Hospitali piorum donatione legata,
donata, collata, aliquove alio legitimo
modo acquisita ad valorem quinque libra-
rum, vel ultra se extendant. In eo casu
volo, ordino, et statuo, quod dictus ludi-
magister (nisi interim de subscriptis ex-
pensis sibi a me vel ab alio debite provide-
atur) quinque solidos pro pane, vino, et
cerâ in missarum celebratione per eum in
anno expendendos, et viginti solidos tan-
tum in augmentum stipendii sui, hypodi-
dascalus vero alios viginti solidos in sui
stipendii supplementum ; Quilibet vero
pauperum quinque solidos et duo gardiani
alios viginti solidos inter eosdem æqualiter
dividendos statim recipient et habebunt.
Reliqua omnia, et singula, seu saltem eo-
rum verus valor in pecuniâ numeratâ,
quæ adhuc forte peractis præmissis rema-
nebunt, pauperibus de Kirkby-Ravenswath
et East-Cowton prædictis et aliarum paro-
chiarum vicinarum die animarum ex tunc
sequenti cum consilio gardianorum ecclesiæ

paro-

parochialis dē Kirkby nullā ad hoc habitā
 populi congregatione aut concursu, ad pau-
 perum hujusmodi domos fideliter mittan-
 tur. Sic quod pauperes parochiani de
 Kirkby et East-Cowtoa, præsertim qui in
 dictis parochiis per decennium ad minus
 habitavere in hujusmodi distributionibus
 plus duplo quam cæteri parochiani de hu-
 jusmodi pecuniis percipient. Et si præ-
 dicti redditus et proventus, ut præfertur,
 superaccrescens ad plenam et perfectam so-
 lutionem augmentationum et supplemen-
 torum præfatis magistro, hypodidascalō,
 pauperibus et gardianis faciendam non
 sufficient, tunc residuum quicquid fuerit,
 necessariis solutionibus præmissis prius fac-
 tis, pro ratâ cujuslibet portionis supra li-
 mitatæ defalcabitur, et prædictis ludima-
 gistro, hypodidascalō, pauperibus et gardi-
 anis pro ratâ prædictâ distribuetur. Ita,
 videlicet, quod post dictas exequias et sup-
 plementa prædicta, distributiones, soluti-
 ones, reparations, et expensas hujusmodi
 debite et decenter factas et perimpletas,
 nihil pecuniæ ultra quinque libras in dictâ
 cistâ pro expensis futuri anni (nisi notoria
 et

et manifesta immineat necessitas quæ cum dictis quinque libris refarciri et reparari de verisimili nequeat) diutius asservetur.

XXXIII.

De Reparationibus per Gardianos faciendis.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod dicti duo gardiani reparationes congruas et convenientes tam ludiliterarii et cubiculi ludimagistri quam cubiculorum pauperum ibidem in tecturâ, fenestrâ et aliis necessariis, primo quoque tempore fieri facient et procurabunt diligenter.

XXXIV.

Quis Compotum conscribet, et de Custodia Libri Compotus.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod dictæ scholæ hypodidascalus si ad hoc idoneus fuerit, sin minus, quivis alias idoneus rationes et compotus de expositis et receptis per dictos duos gardianos eo anno, et per

per eosdem forte superiori anno diversis chartis, schedis, et papiris confuse conscriptis in librum ad hoc paratum decenti ordine quotannis rediget et conscribet, ac pro labore suo duodecim denarios a dictis duobus gardianis percipiet. Qui quidem liber statim a redditâ dictâ ratione sive compoto et scripturâ ejusdem, ut præferatur inter munienta in dictam cistam in proximum annum conservandus reponatur a nemine eo anno postmodum extrahendus nisi necessitas per dictos gardianos et ludi-magistrum approbanda aliter exposcat.

XXXV.

De dubiis et ambiguitatibus in Statutis Exponendis.

ITEM, volo, ordino, et statuo, quod si dubium aliquod vel ambiguitas in dictis statutis jam editio vel in posterum per me vel alios auctoritate legitimâ edendis suboriri contigerit, illud quicquid fuerit, per me, Johannem Dakyn, quamdiu vixero interpretabitur, mutabitur, vel de novo

(fi)

(si ita mihi vifum erit) statuetur. Siquid tamen dubietatis post mortem meam contigerit inveniri, illud per loci ordinarium, modo grammaticē sensus, quoad poterit, conservetur, terminari et interpretari volo.

XXXVI.

De Terris et Redditibus Eleemosynariæ non alienandis, neque usurpandis.

ITEM, si in posterum aliquando contingat, præfatos gardianos, ludimagistrum vel pauperes Eleemosynariæ sive Hospitalis prædicti, vel aliquem eorundem, aliquas detirris, tenementis, redditibus, decimis, proficuis vel commoditatibus, quæ in præsenti ad dictam Eleemosynariam sive Hospitaliter pertinent, vel in futurum pertinebunt, aliter quam per dimissionem sive locationem eorundem pro termino annorum, et hoc, pro redditu ab antiquo solito, et consueto, distrahere, vendere, impignorare, vel alio quocunque modo alienare vel aliter permettere, ut hujusmodi terræ vel cætera præmissa aut aliqua eorum pars ab aliis

aliis injuste usurpentur, occupentur, sive detineantur; et dictis usurpatoribus, occupatoribus, sive detentoribus, pro viribus non resistent, et contradicent, necnon contra ipsos, vel eorum aliquem actionem in jure intra unius anni dimidium post hujusmodi attemptata non proponent et instituent; et eandem actionem, sic proponendam, sive instituendam debite et cum effectu de tempore in tempus non fuerint prosecuti: In eo casu, volo, ordino, et statuo, Decanus et Capitulum Ecclesiæ Cathedralis et Metropolitanæ Eboraci pro tempore existens, potestatem habeat et auctoritatem dictos duos gardianos et ludimagistrum prænominatum aut eorum aliquem, præmissa, vel aliquam partem eorundem alienantem vel alienationi hujusmodi consentientem ad eorum libitum expellendi et amovendi, ac alium vel alios dictam parochiam de Kirkby-Ravenswath, vel alibi inhabitantes constituendi, qui terras, tenementa, redditus, decimas, proficia, vel commoditates prædictas, et quamlibet partem vendicare et recuperare, et ipsas terras, ac cætera præmissa sic, ut præfertur,

fertur, culpâ et negligentîâ amissa, alienata,
 usurpata, sive occupata, præfatæ Eleemo-
 synariæ sive Hospitali rursum applicare et
 restituere, ac defectus et errata dictæ Elee-
 mosynariæ reformare, necnon dictam
 Eleemosynariam sive Hospitale ad suum
 pristinum statum, esse, et conditionem, in
 omnibus reducere et conservare possint et
 valeant juxta et secundum statuta et ordi-
 nationes mei præfati Johannis Dakyn, et
 aliorum ejusdem Eleemosynariæ benefacto-
 rum quorumcunque in hâc parte. Ordino
 præterea et statuo quod dicti Decanus et
 Capitulum triginta solidos annuos pro suis
 in præmissis laboribus impendendis, vide-
 licet, decem solidos ex stipendio dictorum
 duorum gardianorum, et viginti solidos
 de salario lúdimagistri levandos, quoad
 Eleemosynaria sive Hospitale prædictum
 ad pristinum suum statum, conditionem,
 et esse, reducatur, percipient et habebunt;
 quod ubi fuerit, vel si duo habiles paro-
 chiam inhabitantes de Kirkby-Ravenswath
 se illud intra certum tempus congrue fac-
 tuos obligaverint, dictorum triginta soli-
 dorum solutio de cætero tunc cessabit.

XXXVII.

*De Statutis Vetustate corruptis de novo
reparandis et scribendis.*

ITEM, si statutorum in vulgarem sermōnem per me translatorum exemplar, quod in ecclesiā parochiali de Kirkby ex causā rationabili in tabulā ligneā affigi, et publice ac perpetuo ibidem suspendi volo, nimiā forte vetustate corrupti, aboleri, deleri, aut alio quovis modo extingui, tolli aut dispungi contigerit, ita quod plane, et intelligibiter videri, et legi nequeant, tunc in eo casu, volo, ordino, et statuo, quod exemplar omnium et singulorum statutorū hujusmodi intra sex menses proxime tunc sequentes de novo fiat, et scribatur, sub pœnā decem solidorum ex stipendio dicatorum duorum gardianorum levandorum et usibus ecclesiæ parochialis de Kirkby-Ravenswath applicandorum. Quæ omnia et singula, modo, quo præfertur, jam per me statuta, ordinata, et declarata, et posthac per me ex causa forsan statuenda, ordinanda, et declaranda, perpetuā firmi-

tate et labore gaudere, auctoritate principali mihi in hac parte concessâ, volo, ordinô, et decerno per præfentes; nec statutum aliquod præmissorum vel aliquam ejus clausulam sive partem, nisi a me aliquâ de causâ aliter in futurum fuerit statutum, ordinatum, interpretatum, vel declaratum immutari, violari, vel infringi permitto. Sed ea pro individuæ trinitatis gloriâ, et Sancti Johannis Baptiste honore, sub cuius nomine Eleemosynaria sive Hospitale prædictum fundatur, a quibuslibet observari, et custodiri instantius oro atque obsecro quatenus propensâ atque exactâ eorum observatione, quantum hujus fæculi pauperibus charitatem et pietatem, quantumque juventutis probæ educationi zelum et affectum, ac Christo optimo, maximo, omnium pauperum patrono, et omnibus sanctis reverentiam et timorem gerant, omnibus sit testatum.

IN cuius rei testimonium præmissa omnia et singula manu meâ propriâ scripsi, meque hic subscrispsi, ac sigillum Archidiaconatus mei de Eſt-Riding in Ecclesiâ Cathedrali Eboracensi una cum signo et subscriptione

scriptione Notarii Publici infra scripti apposui. Datæ feriâ secundâ rogationum, videlicet, undecimo die ménfis Maii, Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, et annis regnorum Philippi et Mariæ, Dei gratiâ, Regis et Reginæ Angliæ, Franciæ, Neapolis, Jerusalem, et Hiberniæ, Fidei Defensorum, Principum Hispaniarum et Siciliæ, Archiducum Austriæ, Ducum Mediolani, Burgundiæ, et Brabantiaæ, Comitum Hapsburgi, Flandriæ, et Tirolis, secundo et tertio.

Per me,

JOHANNEM DAKYN,
Manu propriâ.

FERIA secundâ Rogationum, videlicet, undecimo die mensis Maii, Anno Domini, millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto missâ de spiritu sancto ad altare Sancti Johannis Baptistæ intra ecclesiam parochialem de Kirkby-Ravenswath Cestrensis diœcesis situm per magistrum Johannem Dakyn Legum Doctorem Archidiaconum

Est-Riding, in Ecclesiâ Cathedrali Ebora-
censi dictæ ecclesiæ parochialis de Kirkby
rectorem, cum cantu primitus celebratâ.
A missâ finitâ dictus magister Johannes
Dakyn concionem habuit maternâ linguâ
ad populum numerosâ multitudine in dictâ
ecclesiâ congregatâ, cujus thema erat “nisi
Dominus edificaverit domum, &c.” post
quam concionem finitam dictus magister
Johannes Dakyn, et clericus ejusdem paro-
chiæ præcedentes, ac parochiani sequentes
processionaliter circuiere ecclesiam paro-
chialem prædictam, et postea Domum Ele-
emosynariæ sive Hospitalis Sancti Johannis
Baptistæ prope cœmeterium dictæ ecclesiæ
parochialis sitam ingredientes, idem magi-
ster Johannes sacrum Christi evangelium
secundum Lucam incipiens, “non est enim
arbor bona, quæ facit fructus malos,” &c.
altâ voce personabat, et statim ecclesiam
prædictam intrantes, dictus magister Da-
kyn, recitatis quibusdam collectis, et ora-
tionibus, in superiorem quendam locum
dictæ Eleemosynariæ sive Hospitalis, quem
ad communem aulam dictæ domus desti-
naverat, ascendit; et ibidem ostensâ pri-
mitus, et perlectâ licentiâ Dominorum Re-
gis

gis Philippi et Reginæ Mariæ Regum Angliæ eorum magno sigillo, ut apparuit, in cerâ viridi sigillatâ, ejusque sensu vulgari lingua per eundem magistrum Johannem Dakyn lucide et intelligibiliter astanti plebi declarato, idem magister Johannes animo, ut apparuit, deliberato auctoritate sibi a dictis Dominis Rege et Reginâ in dictâ licentiâ concessâ dictam Domum in Eleemosynariam five Hospitale Sancti Johannis Baptistæ de Kirkby-Ravenswath verbore tenus erexit, et ipsam domum per nomen, et sub nomine Eleemosynariæ five Hospitalis Sancti Johannis Baptistæ de Kirkby-Ravenswath perpetuis futuris temporibus voluit appellari et nuncupari, duosque guardianos, unum præceptorem, five magistrum scholarium, et pauperes juxta prædictam sibi concessam licentiam eligi, nominari, et ordinari, voluit et decrevit ; ad quorum duorum guardianorum electionem descendens a dictâ communi aulâ ipse cum quatuor dictæ ecclesiæ parochialis guardianis in vestibulum ejusdem ecclesiæ intravit, et clauso ibi ostio in præsentia mei notori publici, et domini Willimi Hutton, ipsius ecclesiæ parochi tractatum habuit,

cum eisdem de sex viris gravioribus et honestioribus, parochianis ejusdem parochiæ nominandis, quorum duo pro futuro tun-
 biennio ad dictæ Eleemosynariæ gardiana-
 tus officium, formâ infra scriptâ elegeren-
 tur, qui invicem aliquandiu ibidem con-
 sultantes nominaverunt Johannem Wy-
 cliffe generosum, Johannem Brignell, Ri-
 chardum Laifield, Robertum Atkinson,
 Willimum Smithson, et Georgium Winde,
 dictæ parochiæ inhabitantes et parochia-
 nos, quos ad dictum munus obeundum
 aptos et idoneos fore existimabant, et tunc
 statim ascitis et vocatis viris prædictis, cæ-
 teris omnibus amotis et exclusis, me præ-
 fato notario publico et Domino Willimo
 Hutton exceptis, prædictus magister Jo-
 hannes Dakyn aulam communem dictæ
 Eleemosynariæ rursum ascendit, et eorum
 sex virorum nomina in præfentiâ mei
 dicti notarii in quandam urnam lapideam
 cerâ rotundâ ad modum pilarum ejusdem
 formæ divisim conscripta, involuta, simul
 et confuse mittebat, atque urnam præ-
 dictam coopertam sursum deorsumque vo-
 litans, et manum suam, averso visu, intro-
 mittens duas de prædictis pilis, quas fors
 obtulit,

obtulit, extraxit, in quibus nomina Johannis Brignell et Willimi Smithson erant scripta, quos duos pro futuro tunc biennio gardianos esse decrevit, et præfatum Dominum Willimum Hutton capellatum in præceptorem five magistrum scholæ grammaticalis, ac Willimum Barthram, tunc ex justâ caufâ absentem, Willimum Ramshaw, Agnetem Bolton, et Margaretam Tinkler, præsentes in pauperes dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis nominavit et præfecit; atque dictos duos gardianos, Dominum Willimum Hutton, et pauperes prædictos, separatis juramentis corporalibus in quodam libro statutorum dictæ domus conscriptis oneravit, tunc ibidem. Et incontinenti dedit eis sigillum Eleemosynariæ commune ex ære confectum circumsculptum, ut apparuit, his verbis, "Sigillum Eleemosynariæ Sancti Johannis Baptiste de Kirkby-Ravenstwath," pro negotiis dictæ Eleemosynariæ in posterum gerendis et expediendis, ac statuta quædam et ordinatiōnes per ipsum latine concepta in præfenti libro pergameno conscripta et sigillo Archidiaconatus sui Eſt-Riding prædicti, ut apparuit, sigillata pro dictæ domus, et mini-

ministrorum in eisdem gubernatione et regimine eisdem gardianis præceptor i et pauperibus tradidit et liberavit, salvâ semper sibi facultate eadem statuta et ordinationes pro arbitrio suo, quamdiu vixerit, corrígendi, reformandi, mutandi, vel cassandi, juxta licentiam regiam sibi in eâ parte concessam. Quibus ordine præmisso gestis, dicti gardiani præceptor et pauperes ordinaverunt et constituerunt Johannem Linley, tunc præsentem et alios eorum factores et attornatos per eorum literas sigillo communi dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis tunc publice sigillatas et traditas ad recipienda et accipienda quæcunque terras, tenementa, decimas, et hæreditamenta, a dicto magistro Johanne Dakyn, seu alio quolibet dictæ domui tradenda et concedenda, ac in possessionem eorundem, ad usum et utilitatem dictorum gardianorum, præceptoris et pauperum et Eleemosynariæ five Hospitalis prædicti intranda et accipienda juxta formam literarum per eosdem gardianos, præceptorem et pauperes eidem Johanni Linley et aliis, ut præmittitur, factam.

Et

ET incontinenti dictus magister Johannes Dakyn nonnulla, chartas, scripturas, munimenta, de et super terris, ecclesiarum decimis, et hæreditamentis suis, per eum, ut asseruit, juste acquisitis manibus dicti Johannis Linley ad usum dictæ Eleemosynariæ five Hospitalis sponte et lubenti animo dedit, contulit, et donavit. Quæ instrumenta præfatus Johannes Linley a manibus dicti magistri Johannis Dakyn recipiens absque morâ præfatis gardianis præceptori et pauperibus ad usum eorum et Eleemosynariæ five Hospitalis prædicti rursum reddidit et liberavit: Quæ quidem instrumenta et munimenta una cum quinque libris in auro per dictum magistrum Johannem Dakyn ad dictæ Eleemosynariæ usum tunc donatis, ac aliis rebus, et instrumentis in communem cistam intra dictam ecclesiam parochiæ de Kirkby collata per eosdem duos gardianos et præceptorem reposita erant et recondita, dictamque cistam tribus feris quarum claves erant dictis duobus gardianis et præceptoris separatim traditæ in præsentia mei dicti notarii publici serabant et claudebant, præsentibus, tempore erectionis, juramentorum

præ-

præstationis, sigilli communis, instrumentorum, et auri traditionis, venerabilibus viris Willimo Wycliffe, Johanne Wandiford, Rogero Burghe, et Johanne Dudley, armigeris; Johanne Layton, et Johanne Wycliffe, generosis; Willimo Brian, Johanne Henrison, et Richardo Cath, laicis, et aliis quam plurimis.

Et ego Robertus Bothomlay, Eboracen-sis diœcœfeos publicus sacrâ auctoritate apo-stolicâ notarius, quia præmissis, licentiæ re-giæ declarationi, et Eleemosynariæ five Hospitalis Sancti Johannis Baptiste præ-dicti erectioni, et guardianorum ejusdem electioni, nec non præceptoris five magi-stri scholarium, et pauperum dictæ Ele-e-mosynariæ nominationi et præfectioni, si-gilli quoque communis, et statutorum ejus-dem domus traditioni, ac instrumentorum, chartarum, munimentorum, et quinque librarum liberationi, dum sic, ut præfer-tur, per dictum Johannem Dakyn mense, die, anno, et locis prædictis agebantur et fiebant, una cum prænominatis testibus ip-sis, personaliter interfui: Eaque omnia et singula sic fieri vidi; et audivi. Ideo præ-fentes

sentes literas testimoniales manu meâ propriâ scriptas et subscriptas una cum appen-
fione sigilli dicti magistri Johannis Dakyn,
Archidiaconatus sui Eſt-Riding prædicti
exinde confeci, publicavi, et in hanc publi-
cam formam redegi, signoque et nomine
meis solitis et consuetis signavi, rogatus et
requisitus in fidem et testimonium omnium
et singulorum præmissorum.

{ Posui Deum }
 { Adjutorem meum. }

Inſcriptio in Schola.

OMNIS sancti edificii status, sicut Deo operante proficit, sic Deo custodiente conſtit. Tunc enim utilis est præpositorum custodia, cum ſpiritus Dei populo ſuo præfidet, et non ſolum greges, fed etiam ipſos dignatur ~~cuſtadire~~ pastores.—Augustini de ſententiis.

Domus hæc impensis Willimi Knight,
olim Bathoniensis et Wellensis Epifcopi,
eft conſtructa ad laudam et gloriam Dei.

1556.

In-

Inscriptio in Ecclesia Parochiali de Kirkby-Ravenswath.

JOHANNES Dakyn hujus ecclesiæ rector,
ac reverendi patris divini Willimi Knight,
olim Richmondiæ Archidiaconi, et postea
Bathoniensis et Wellensis Episcopi, execu-
torum unus, hanc de bonis dicti Episcopi
primum fundavit Eleemosynariam, et eam
redditibus competentibus pro unius ludi-
magistri, hypodidascalij, quatuor pauperum,
et annui obitus perpetuâ exhibitione curâ
et diligentia duorum gardianorum faciendâ
dotavit, anno a Christo nato millesimo
quingentesimo quinquagesimo sexto.

Obiit dictus Johannes } nono die mensis No-
vembris, Anno Do- } mini millesimo quin-
gentesimo quinqua- } gesimo octavo.

F I N I S.

